

cultatem a S. Sede humiliter et enixe flagitavit. Facultas ad decennium benigne concessa per brevem Pii P. P. IX f. r. d. XXX Januarii MDCCCLXXII. Per iniuriam a Gubernio Civili expulsis Patribus S. J., quibus tunc temporis Seminarii regimen erat commissum, usus Pontificiae concessionis minime factus. Rebus compositis et novo efformato Doctorum collegio, Exemus., ac Rmus. D. Dr. Prosper Maria Alarcon praedecessoris vestigia terens, iterum atque iterum a S. Sede postulavit erectionem Facultatis S. Theologiae et Juris canonici, quae tandem a Leone P. P. XIII concessa est anno MDCCCXCV decreto S. C. studiis praepositae.

Facultates hoc modo canonice erectae S. Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, ab eodem Leone XIII communem omnium scholarum Protectorem edictum, sibi in praecipuum Patronum elegerunt, peculiari cultu prosequendum, a cuius doctrinis minime recedendum, praeter S. Catharinam V. et M. cui primitus Universitas Mexicana dedicata fuit.

CAPUT II.

De Moderatoribus Pontificiae Mexicanae Facultatis.

I. Mexicana Facultas theologica ac Juris canonici regitur summa Apostolicae Sedis auctoritate a Magno Cancellario una cum Collegio Doctorum.

II. Magnus Cancellarius, veluti natus, est Exemus. ac Rmus. D. Archiepiscopus Mexicanus pro tempore existens, cuius erit quotiescumque sibi videbitur, Collegium congregare, omnibus conventibus praeesse, agenda proponere, candidatorum examinibus, sive publicis, sive privatis interesse, de eisque una cum examinibus suffragium ferre. Ipse etiam apostolica ex auctoritate ius habet conferendi gradus academicos et diplomata remittendi una cum Collegio Doctorum, cuius personam gerunt Pro-Cancellarius, Studiorumque Praefectus.

III. Pro-Cancellarii electio et confirmatio a Magno Can-

cellario fiet hoc modo: Collegium Doctorum per vota secreto significata, tres e Collegio designabit, Magno Cancellario praesentandos, ut e tribus eligat ipse quem sibi melius placuerit et confirmet, cum facultate ternam propositam reiciendi, et novam electionem indicendi. Ad ternam efformandam sufficiet pluralitas votorum relativa.

IV. Pro-Cancellarii munus erit Magnum Cancellarium absentem in omnibus supplere, ipsoque etiam praesente, poterit candidatorum examinibus interesse, de eisque suffragium ferre sicuti alii examinatores.

V. Studiorum Praefectus, a Pro-Cancellario de consensu Magni Cancellarii designandus erit. Praefecti munus est de iis, quae ad studia pertinent, invigilare. Poterit igitur scholas perlustrare, professores negligentes commonere, ut scholasticae leges serventur curare. Collegium Doctorum, quoties opus fuerit congregare ad graviora scholastica negotia definienda, praemonito Magno Cancellario; statutis academicis insistens ad examina candidatos admittere, diem indicare, examinatores designare, eorum suffragia excipere. Praefecti item studiorum est, invigilare, ut in singulis disciplinis sana doctrina, eaque amussim catholica tradatur, et ut a Professoribus ea, qua fieri poterit, soliditate, perspicuitate et diligentia lectiones habeantur.

VI. Electio Pro-Cancellarii et Praefecti studiorum a S. Studiorum Congregatione confirmanda erit.

CAPUT III.

De studiorum ordine et ratione.

§ I. In Theologica Facultate.

VII. Cursus Theologicus quatuor continenter annis perficitur.

VIII. Integro quatriennio duplex quotidie (*diebus festis et Iovis exceptis*) habetur lectio Theologiae Dogmaticae; altera

matutina, altera vespertina, tractatibus Theologiae scholasticae ita distributis, ut absoluto quatriennio, omnes fuerint expleti. Hisce lectionibus una simul interesse tenentur omnes, qui gradibus academicis insigniri volunt, cuiuscumque tandem anni sint.

IX. Primo biennio praeterea candidati navare debent explanationi S. Scripturae et Historiae Ecclesiasticae, quae alternis vicibus habetur iisdem diebus ac Theologia Dogmatica. Hisce expositionibus interesse tenentur, simul coniuncti, qui ad primum et alterum annum pertinent.

X. Altero biennio pro S. Scriptura et Historia Ecclesiastica Theologiae Morali vacatur ab alumnis tertii et quarti anni.

XI. Alumni tertii anni operam pariter navabunt Institutionibus Canonicis et iuris publici ecclesiastici, quae traduntur iisdem ac Theologia Dogmatica diebus.

XII. Qui vero primo anno sunt inscripti tenentur insuper interesse scholae Linguae Hebraicae, quae alternatur cum schola Liturgiae, a qua nemo theologorum excusatur, praesertim si Theologiae Morali iam studeat.

XIII. Singulis hebdomadis, die Iovis, habentur scholae Eloquentiae Sacrae et Cantus Gregoriani, ad quas quinam interesse debeant, Rector Seminarii designabit.

XIV. Post scholas vespertinas circulus habebitur, cui praesse debet alumnus a Praefecto Studiorum, respectivi Professoris audito consilio, designandus. In circulo aliquis inter alumnos, in antecessum designatus, disseret supra thesim, quam sibi antea pariter indixerit circuli Praefectus. Continuo vero solvet obiectiones, quas contra ipsam proponet unus vel alter alumnus, item a Praefecto circuli designatus: quae ratio eadem servanda est, cum in designatione Praefectorum circuli pro aliis facultatibus, tum in modo, circulos perficiendi, relatione habita ad diversitatem materiarum. Circulus ad semihoram protrahi debet.

XV. Eiusmodi exercitatio vel quid simile saepe coram professore in schola fiet, et ter saltem in anno publice in aula maxima, adstantibus omnibus Collegii Doctoribus.

XVI. Lectiones singulae integram horam perdurare debent.

§ II. *In Facultate Iuris Canonici.*

XVII. Triennio absolvitur studium Iuris Canonici.

XVIII. Annus primus Institutionibus Canonicis et Iuri publico ecclesiastico integer consecratur. Lectiones quotidie traduntur, si dies Iovis et festos excipias.

XIX. Duo insequentibus anni studio Decretalium relinquuntur, quarum expositio et explanatio cum mane tum vespere a distinctis professoribus quotidie, ut supra, perficietur.

XX. Lectiones singulae horam integram perdurare debent.

XXI. Post scholam vespertinam per semihoram habebitur circulus.

§ III. *De disciplina Philosophica.*

XXII. Cum maxime intersit ad sacras praesertim addiscendascientias solida philosophiae institutione clericos imbui, philosophiae scholasticae cursus, ceu ad S. Theologiam propedeuticus instituitur in Seminario Mexicano pro clericis, qui ad gradus academicos contendunt sive in S. Theologia sive in Iure Canonico.

XXIII. Ad philosophiae cursus nemo admittitur, nisi in lingua latina per examina in scholis inferioribus peracta et per professorum testimonia rite exhibita, apprime instructus agnoscatur.

XXIV. Philosophiae cursus triennio absolvitur.

Primo anno quotidie, ut supra, tum mane, tum vespere habetur schola Philosophiae Rationalis ad mentem Sti. Thomae et explananda erit Logica et Ontologia. Mane vacatur etiam studio illius partis Matheseos, quae complectitur Arithmetica, Algebram, Geometriam et Trigonometriam. Praeterea habebitur schola vespertina Linguae Graecae.

XXV. Anno altero quatuor lectiones quotidie habentur scilicet: *a) mane* — Philosophiae Rationalis (Cosmologiae et primae partis Psychologiae) et Physicae Experimentalis: *b) vespere*

—Chimiae atque Ethicae alternis vicibus et Historiae Patriae.

XXVI. Tertio anno quatuor pariter lectiones habentur, scilicet: *a) mane* — Historiae Naturalis et Philosophiae Rationalis (Absolvitur Metaphysica Specialis et traditur Theodicea) *b) vespere* — Cosmogoniae et Geologiae alternatim et Historiae Universalis.

XXVII. Lectiones singulae ad horam protrahi debent.

XXVIII. Circuli etiam habentur modo supradicto.

§ IV. *Methodus tenenda a Professoribus in praelectionibus tradendis.*

XXIX. In scholis superioribus curabunt Professores, ne alumni satis et abunde sese fecisse credant, si auctores, sibi pro textu propositis, memoriter teneant; sed suis explanationibus et expositionibus conabuntur illos imbuere cognitione quaestionum tam alte et solide, ut illam, quando opus fuerit, debita cum profunditate, amplitudine et dexteritate, qua fieri potest maiore, casibus particularibus applicare possint. Ideo Professores toto pectore incumbant, ut alumni ad hunc gradum perfectionis deveniant; quod uti fiat, curabunt quaestiones singulas diversimode illis enunciare et sub diversis verborum formis solvendas proponere. Ideo continuis, assiduus et diuturnis exercitationibus curent, ut discipuli in solutione difficultatum facilitatem acquirant: Sacerdos enim paratus esse debet non modo ad dogmata fidei christicolis clare et enucleate proponenda, verum etiam ad ea contra adversariorum impugnationes sarta tecta que servanda et ad ipsos infideles a suis erroribus avertendos.

§ V. *De Textibus.*

XXX. Pro textu seligantur auctores optimae notae, et in disciplinis philosophicis et theologis, qui sint praeterea conformes principiis et menti Doctoris Angelici.

XXXI. Auctores semel admissi nequeunt per alios sub-

stitui, nisi de consensu Doctorum Collegii, qui prohibentur alios admittere, quos minime constet omnino praecellere iis, qui antea habebantur, uberiolemque fructum esse discipulis allaturos. Mutationes tamen rarissimae sint.

XXXII. De auctorum textibus, qui in variis disciplinis explanantur, certior fieri debet S. Congtio. Studiorum in trienniali relatione.

CAPUT IV.

De graduum collatione.

XXXIII. Gradus academici tres enumerantur: Baccalaureatus, Licentia seu Prolytatus, Laurea seu Doctoratus.

XXXIV. Ad examen pro Laurea Candidati non admittuntur, nisi expleto Studiorum curriculo; pro Licentia non nisi penultimo studiorum anno finito; pro Baccalaureatu non nisi postquam alterum Studiorum annum absolverint, si de theologia agatur, vel postquam Institutiones Canonicas obierint si de Canonistis agatur.

XXXV. Examen ad Baccalaureatum et Licentiam orale tantum erit; saltem coram tribus Collegii Doctoribus perficiatur et ad horam integram protrahatur: ad Lauream tum scriptum tum orale. Scriptum ita fiet: ex thesibus ad hoc propositis tres sortiantur ex quibus candidatus eliget quam maluerit, quaeque argumentum praebit ad dissertationem latino sermone ex tempore conscribendam, intra spatium sex horarum, absque ullo libri vel scripti subsidio, si Bibliam et Concilium Tridentinum et Vaticanum pro theologia excipias, et corpus Juris pro canonistis, in loco expresse designato, uno adstante Collegii doctore. (Probatio Candidatorum Juris Canonici versabitur non supra thesibus sed supra titulis.) Theses theologicae pro experimento scripto, numero erunt quinquaginta ex iis selectae, quae pro examine orali assignantur. Tituli totidem Juris Canonici ex iis pariter excepti qui pro orali proponuntur.

XXXVI. Dissertatio scripto a candidatis exarata, quinque Doctorum iudicio subiicietur, quorum adprobatio, pluralitate suffragiorum, omnino necessaria est, ut candidatus ad orale experimentum admittatur.

XXXVII. Examen orale fiet saltem coram quatuor Doctoribus Collegii, quibus integrum erit, ex thesibus pro experimento designatis quamlibet eligere, ita tamen ne singuli eandem eligant.

XXXVIII. In Theologica Facultate pro Baccalaureatu Candidatorum periculum septuaginta quinque theses amplecti debet; pro Licentia centum; pro Laurea ducentas. Theses Theologicae pro Baccalaureatu et Licentia assumentur ex tractatibus illo anno expositis; pro Laurea ex universa Theologia Dogmatica centum et quinquaginta, ex S. Scriptura viginti; ex Theologia Morali viginti; ex Historia Ecclesiastica decem.—In Facultate Iuris Canonici pro Baccalaureatu puncta septuaginta quinque ex Institutionibus et Iure Publico; pro Licentia Tituli quinquaginta ex libris Decretalium illo anno explanatis; pro Laurea centum ex quinque libris et insuper viginti quinque puncta ex Iure Publico.

XXXIX. In Theologica Facultate Candidati ad Baccalaureatum parati esse debent ad theses clare et perspicue exponendas, solidis argumentis firmandas et pervulgatas obiectiones solvendas; Candidati ad Licentiam solvere tenentur etiam exquisitiores: ad Lauream autem Candidatis, ut plurimum, non proponentur theses probandae vel explicandae, sed solummodo argumentationes in forma, ut perspicue constet, aptos esse quibuscumque difficultatibus enodandis.

XL. Suffragia ab examinatore secreto Praefecto Studiorum significabuntur.

XLI. Ut Candidatis gradus concedantur, pluralitatem absolutam votorum favorabilium obtinere debent.

XLII. Examini ad gradus non admittentur qui absque iusta causa saepius neglexerunt interesse praelectionibus. Quinam hac in re negligentes censi debeant relinquatur iudicio Praefecti Studiorum et Professorum.—Pariter excluduntur

qui gradum inferiorem nondum obtinuerint, vel qui quavis de causa aliquam materiam neglexerint, nisi forte excipias Cantum Gregorianum, Eloquentiam Sacram, S. Liturgiam et Linguam Hebraicam, a quibus Praefectus Studiorum rationabili de causa poterit dispensare, audito Seminarii Rectore.

XLIII. Ut extranei ad examen possint admitti, afferant oportet testimonia, quae faciant fidem de studiis quae heic exiguntur, alibi a se cum profectu exantlatis, qui praeterea de consensu sui Ordinarii duobus saltem annis in Mexicana Academia scholas illius facultatis frequentare tenentur, in qua gradus academicos exoptant.

XLIV. Diplomata ad Lauream non concedantur nisi postquam Candidati, in experimentis iam approbati, fidei professionem emiserint, a Pio P. P. IV et Pio P. P. IX praescriptam, coram Collegio Doctorum vel coram eiusdem Collegii Doctore, a Magno Cancellario deputato et Praefecto Studiorum.

XLV. Quibus examen male cesserit, redeundi ante sex menses venia minime concedatur. Quod si iterum admissi sese impares ostenderit, venia redeundi postea omnino negetur.

XLVI. Tum in gradibus conferendis, tum in eorum diplomatis expressa Apostolicae Auctoritatis mentio fiat, ex cuius delegatione gradus ipsi conceduntur.

XLVII. Diplomata ad Lauream, Licentiam et Baccalaureatum praeter sigillum Academiae, ostendant oportet subscriptionem Magni Cancellarii, Pro-Cancellarii atque Studiorum Praefecti.

CAPUT V.

De Collegio Doctorum.

XLVIII. Octo saltem membris Doctorum nec pluribus quam duodecim, collegium constare debet cum praeside, qui

semper eiusdem collegii decanus erit; ultimum vero membrum secretarii munere fungetur.

XLIX. Nemo poterit in Collegium adisci, nisi vitae et morum integritate commendetur, et in aliqua catholica Universitate Doctoris laurea fuerit donatus in ea disciplina ad cuius collegium contendit.

L. In hac prima Facultatis Mexicanae institutione ob Doctorum defectum, ad decennium permittitur, ut unum Collegium sive pro S. Theologia sive pro Iure Canonico constituantur. Sed ut copia doctorum in posterum suppetat enitendum est, ut duo distincta pro unaquaque facultate constituantur Collegia, quibus suus erit praeses praeposendus; unumquodque suos habeat conventus, distincta membra et officia sub Magni Cancellarii moderatione et auctoritate.

LI. Novi doctoris in collegium cooptatio per Doctorum suffragia fiet et eius electio a S. Stud. Congne. confirmanda erit. Qua obtenta confirmatione, pleno Doctorum conventu recipietur, fidei professione iuxta formulam Pii IV et Pii IX coram Praeside solemniter emissa.

LII. Munus collegii doctoralis est examina habere et ferre suffragium in professoribus deligendis, in collatione laurearum aliorumque graduum academicorum, atque simul cum respectivis lectoribus, in discipulis praemio decorandis exeunte anno scholastico.

LIII. Collegii membra sicut professores tenentur studiorum Praefecto subesse: cum eo programmata sive cursum sive examinum singulis annis adprobare, in omnibus Praefectum coadiuvare, quae ad solidam alumnorum institutionem et profectum spectant: opportuna denique, si quae sint, consilia proponere, quae ad regimen et decus Facultatis magis idonea censuerint.

LIV. Ut tam benemerito Collegio Pio Latino Americano in Urbe honoris gratique animi testimonium exhibeatur, eique novae adiungantur vires, Rmi. huius Archidioeceseos Archiepiscopi incoeptis usque insistentes, valentiores iuvenes, celebrioribus in Urbe Professoribus erudiendos et insig-

niori laurea donandos, almo illi Collegio adhuc certo committent, ut inde e limine Petri Doctorum et Professorum purior origo habeatur.

Hinc in Professoribus eligendis et Doctoribus proponendis, eos qui illius in Urbe Seminarii iam alumni, inde tum studiorum tum honestioris vitae optima retulerint testimonia, ubi et caetera concurrant, praefereudos Collegium curet.

LV. Quod si doctores non suppetant Laurea insigniti in Collegio Pio Latino-Americanano, ceteris paribus, qui in hac Mexicana Facultate Lauream adepti fuerint praeferantur.

LVI. Doctores candidatis experimentum subeuntibus ne nimis faveant; sed examinandi merito, aptitudini et scientiae unice attendentes iustum iudicium ferant. Unde probatio gravis sit et seria, ut gradus conferendus honore semper habeatur.

LVII. In defectu Magni Cancellarii, Pro-Cancellarii atque Studiorum Praefecti, conventibus praesideat Doctorum Praeses.

LVIII. Si quis inter Doctores a vero desciverit, quod Deus avertat, vel alia de causa noxium Academiae vel Seminario se probaverit, pleno conventu re discussa, Magno Cancellario integrum sit illum expellere.

CAPUT VI.

De statutis interpretandis et applicandis.

LIX. Hisce statutis expresse derogare minime liceat absque S. R. Congregationis Studiorum venia.

LX. Rei tamen substantia servata, Collegio ea concedatur facultas: a) — Ut ex Cancellarii sententia statuta haec possit interpretari, declarare et cum illis quoque difficultatibus componere, quae forte irrepere possint. . . . b) — Ut peculiare et practicas possit edicere regulas, quibus haec fundamentalia statuta applicentur, speciatim vero expensas vel exigendas, vel solvendas, solemnique ad conventus habendos gradus-

que conferendos aliaque huiusmodi, data oportunitate, decernere.

LXI. De hisce omnibus, deque numero et progressu discipulorum, de gradibus collatis et generatim de totius facultatis statu tertio quoque anno ad S. R. Studiorum Congregationem Cancellarius relationem mittere curet.

LXII. Qua facta et transmissa relatione, ipse Studiorum Praefectus officium suum (idque etiam faciat Pro-Cancellarius) deponat, omnemque curam collegio resignet, ut nova habeatur electio. Nihil tamen vetat, quatenus officio functi iterum eligantur.

N. B.—Annus scholasticus constat decem mensibus, ultimo examinibus relicto.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Studiorum die decimasexta Decembris 1895.

C. CAR. MAZZELLA, PRAEF.

Locus sigilli.

IOSEPH MAGNO, A SECRETIS.

APUNTES ACERCA

DE UN NUEVO MANUAL

DE

ARQUEOLOGIA MEXICANA

CRITICA CIENTIFICA

POR

HERMANN BEYER



Editores:

SERVICIO DE INFORMACIONES ALEMANAS EN MEXICO

1918